



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Iesu Christi anima, vti animas è lymbo ereptas in paradisum introduxerit.  
Glorif. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

*Iesu Christi anima, uti animas e lyngo ereptas in paradysum introduxerit.*

## GLORIFICATIO III.

**A**Ve Sampson fortissimè moriens, & hostilem exercitum prosteruens, Iesu rex inuictissime: Laudo, benedico, & adoro te pro illo ineffabili gaudio, quod amici & electi tui in lyngo tecum habuerunt, quando per diuinitatis tuæ potentiam, alligato diabolo, eos ab inferis eduxisti, & ante eos cum laudis triumpho lætus & gloriosus præcedens, comitante & iubilante Angelorum exercitu, ipsos in paradysum voluptatis introduxisti.

*Aduersus quamuis prauam libertatem & consuetudinem, Precatio.*

**I**esu bone, descendat super me quæse miserum peccatorem misericordia tua, quæ confringat in me portas æres prauæ consuetudinis, astringat libertatem propriæ voluntatis, conuerat virtutem diabolicæ suggestionis, liberet me captiuum de carcere peccati, de barathro visiorum & tentationum, & colloce me in paradysum sempiternæ charitatis, Amen.

*Iesus Christus uti suum corpus glorificauerit, & sua moestissima matri resurgens apparuerit.*

## GLORIFICATIO IV.

**A**Ve mortis nubilo eclypsatus sol refulgens, Iesu rex gloriæ: Laudo, benedico & adoro te pro illo ineffabili gaudio, quo die tertio corpus tuum beatissimum immortalitatis gloria beatificatum, impasibile & gloriosum reassumens, de clauso prodiens tumulo, victor à mortuis resurrexisti, atque tuæ matri moestissimæ ardentissimis desiderijs te expectanti, immortalis & gloriosus apparrens, ipsam reuerenter salutatam, benignè consolans, indicibili gaudio lætificasti.

*Pro vitiorum, propriæ voluntatis morte, ac triumpho de inimicis, augmentoq; charitatis ac donorum Spiritus sancti, Precatio.*

**D**omine Iesu Christe pater clementissime, qui à morte resurgens, ministrum mortis superasti, omnesq; in Adam mortuos, ad vitam reparasti: fac me per virtutem tuæ benedictæ passionis, propriam voluntatem & omnes prauas affectiones, morus & passionis in me fortiter mortificare, tentationes omnes superare, de omnibus inimicis meis triumphare, vt tam intensa, tamq; indissolubili tibi adhæream charitate, vt nullatenus gratiæ tuæ vitam amittere aut perdere valeam. Supplico etiam tibi, dulcissime Iesu, vt amore illius gaudij, quod benedicta mater tua habuit, quando te vidit & ei apparuisti in sanctissima nocte Paschæ, & per illud gaudium quod habuit, quando te vidit glorificatum per diuinitatis claritatem, illumines & confirmes atque confortes cor meum septem donis Spiritus sancti, vt tuam voluntatem adimplere valeam omnibus diebus vitæ meæ, Amen.

*Iesus Christus uti glorificationem diuinæ claritatis acceperit à Patre in sua humanitate, & pro omnibus suis membris electis.*

## GLORIFICATIO V.

**A**Ve claritas & puritas Angelorum, pulchritudo & amcneitas omnium beatorum, Iesu Christe, rex bone: Laudo, benedico, & adoro te pro illo ineffabili gaudio quod habuisti, quando tua beatissima humanitas in resurrectione glorificationem diuinæ clarificationis suscepit à Patre, & in se omnibus electis glorificationem æternam in sua diuinitate tribuit.

*Pro*